

inconsulto factitatum esse, persuasi sumus. Vult enim Apostolus, quod ille *Sanguis* non V. T. typicus, sed N. T. antitypicus I. C. Salvatoris ac Redemptoris unici, dudum promissi, qui non homo tantum, sed DEUS, DEIque Filius unigenitus aeternus, qui iam erat, non esse coeperat in principio rerum omnium ψ . 1. qui verbum vitae et ipsa vita est, ψ . 2. missus a Patre in plenitudine temporis, Gal. IV, 4. manifestatus et visus in carne, 1. Tim. III, 16. passus et diuino sanguine sibi acquisiuit Ecclesiam, Actor. XX, 28. eamque sanctificat, purgat et gloriosam aliquando immaculatamque sistere vult, Eph. V, 25. seqq. Sanguis hic unice intelligi debeat. *Conf. Dn. D. May Oecon. Temp. N. T. p. 563. 564.* Dum igitur *Sanguinem Christi* enunciat, totam eius obedientiam, quicquid Seruator agendo ac patiando promeruit, inducit, videlicet *natiuitatem*, qua *carnis et sanguinis consimiliter ac pueri fuit particeps factus*, Heb. II, 14. *circumcisionem*, non sine sanguinis effusione factam, qua se ad legis impletionem obligatum reddere voluit, Gal. IV, 4. *eiusdem prodicionem* a Iuda profectam, Matth. XXVII, 4. qui male se egisse exclamat *prodendo sanguinem innoxium*, *conf. v. 6. 8. sudorem sanguineum*, Luc. XXII, 44. *coronationem spinosam*, Matth. XXVII, 29. *falsam accusationem*, contra quam protestatur Pilatus, se innocentem iusti sanguinis contendens, ψ . 24. *eius flagellationem* cum colaphis sine sanguine vix peractam, Matth. XXVII, 26. *lateris perfossionem*, unde cum aqua sanguis ebulliuit, Ioh. XIX, 34. *dolorosam crucifixionem*, qua pedibus et manibus clauis sunt impacti, Ps. XXII, 17. hinc vocatur sanguis in cruce Col. I, 20. ipsam denique *mortem*, quam sanguinis effluxus quam maxime excepit. Imo, quicquid tandem nomine meriti et passionis Christi venire potest, unico sanguinis Christi vocabulo veluti per quandam Synecdochen expressam voluit, hinc est, quod *Paulus* integram fidem saluificam in toto merito Christi defixam nominet *fidem in Christi*
san-